Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1173
Quelle:
Copyright:

Fontes collectos habes in *Hambergeri Zuverl. Nachricht. v. d. vornehmst. Schriftstell.* T. IV. p. 485. Patria *Scotum* fuisse, uti semper dictus est, nemo facile mihi eximet. Jam quae prae oculis habemus, Commentaria, *Oxoniensia*, sive *Opus Anglicanum* vocantur, et incipiunt: *Cupientes aliquid &c. Circa prologum primi libri queruntur V. Primum est de necessitate huius doctrine* &c. Extrema sunt: *qui est alpha et o, principium et finis cui sit honor et gloria in secula seculorum amen.* Atque ita post repetitas a Sec. XV. Editiones extant in *Lugdunensi* curata a *Luca Waddingo* 1639. T. V. P. 1. et 2. f. Accedit nobis Tabula alphabetica, cujus continuatio quaerenda est *fol.* 247.

II. *fol.* 103. *Reportatio*, ut e calce adsumo, *parisiensis super primo libro sententiarum sub uenerabili doctore et magistro sacre theologie fratre Johanne scoto. De ordine fratrum minorum.* Anno 1304. *Oxonio* missus *Parisios* Noster Commentaria sua retractavit, contraxitque omissis multis Philosophicis, inde *Scriptum* hoc seu *Lectura Parisiensis*, ut pluribus *Waddingus* in *Censura* illi praemissa edit. *cit.* T. XI. P. 1. Meminit ille pariter ibi Reportatorum spuriorum, sed nostra praesentia genuina sunt, et cum ejus textu conspirant, ita enim ineunt: *Queritur utrum deus sub propria ratione id est deitatis possit esse subiectum alicuius scientie* &c. In fine post verba *fit recta*, in quibus Edita sistunt, Codex ita procurrit: *et meretur peruenire ex huiusmodi conformitate ad gaudium ineffabile, quod oculus non vidit* &c. *quod nobis ipse prestare dignetur qui est benedictus in secula seculorum. amen. Explicit reportatio parisiensis super primo libro sententiarum sub venerabili doctore et magistro sacre theologie fratre Johanne scoto. De ordine fratrum Minorum.*

III. *fol.* 176. *Secundus*, ut e calce adsumo, *ordinarij super secundum sententiarum.* Vides Commentarium *Oxoniensem* etiam *Ordinarium* dictum fuisse. Ejus initium: *Circa 2^m librum in quo ut dictum est in lectione tractat magister de deo quoad causalitatem* &c. et finis: *ita est a deo quoniam ex ipso et in ipso et per ipsum sunt omnia.* Accedunt Elenchus Quaestionum, quaedam per decursum omissa, et Continuatio Tabulae *fol.* 101. coeptae.

IV. *fol.* 248. ἀνεπιγραφως: *Circa tercium primo queratur. vtrum natura humana vnita verbo sit ypostatice sub propria ratione verbi* &c. Ne *Scoti* continuationem putes. Discipulum habes pro Magistro. Notatur enim in calce: *Explicit Lectura magistri Hugonis doctoris sacre theologie de ordine minorum fratrum.* Est is *Hugo de Novo Castro* (Newcastle) autor *Victoriae Christi contra Antichristum*, cujus Operis editione *s. l.* 1471. visa, lectoque ad calcem: *per Hugonem — doctorem parisinum*, *Mansius* in reimpressa *Bibliotheca Fabric.* male intulit: *non*